

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reipol.
1624.

COLLEGII
DE SACRAMENTIS
Disputatio Quinta
De
SACRAMENTI
FINE ET EFFECTU;

Ubi simul,

De
NECESSITATE SACRAMENTI

Quam

Annunte JEHOVA

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI
S. S. Theol. D. & P. P.

In Collegio privato examinanda
proponit

M. LEVINUS POUCHENIUS

Regiom. Borussus.

Habebitur die 27. Augusti, horis pomeridianis
in Auditorio minori.



WITTEBERGÆ,

Ex Officina Johannis Gormanni,

ANNO M. DC. XL



Ad Aram

Sanctæ amicitie, quam posuit,

V I R I S

*Reverendo, Clarissimis, Præstantissimis, Lite-
ratissimis,*

Dn. M. MARTINO STROMANNO,
Ecclesiæ Bernaviensis in Marchia, præposito vigi-
lantissimo,

Dn. CHRISTIANO CRUGERO,
Scholæ Ægidianæ, quæ Brunswigæ est, Rectori
solertissimo.

Dn. CHRISTIANO PETRI,
Illustris: Ducis Curlandiæ, Sengalliæ &c. Præce-
ptori, fidelissimo.

Dn. HEINRICO ERDTMANNNO,
Philosophiæ Candidato dignissimo, S.S. Theol. stu-
diosissimo,

Dn. HIERONYMO CHRISTOPHORO
RICCIO, Medicæ artis Candidato itidem
dignissimo,

*Magnis suis fautoribus & amicis, hoc quicquid
est chartacei muneris, honoris ergo*

l. mq; suspendit

M. LEVINUS POUCHENIUS,
Reg. Borussus.



ἮΒ

Ertum est illud πολυθευδαντων: Omne agens propter finem agit. Cum v. Deus sit agens omnium sapientissimum, is certe aliter agere nequit, quam ut actiones ad bonum finem dirigat. Hinc Arist: 3. de an: affirmat: Deum & naturam nil facere frustra. Nec aliter in Sacramentorum institutione agere voluit, sed certos eorum fines constituit. Hos cognoscere & utile & necessarium Ecclesie est, partim ob haereticorum suggillationes; partim ob consolationes inde promanantes. Recto itaq; ordine doctrinae de Sacramentorum ἁγια considerationem finis & ἑπερειας subjungimus investigaturi, 1. finis veritatem. 2. Sacramentorum necessitatem.

I. Sacramentorum fines, quia plures sunt, gradibus dignitatis differentes, merito cum Orthodoxis, docendi causa, distinguimus inter finem proprium, accidentarium & manifeste falsum: hic Pontificios, iste infideles, ille fideles respicit. Estq; vel principalis, vel minus principalis: ille duplex; hic multiplex.

I I. Finis principalis prior est, gratiae divinae oblatio, exhibitio & collatio. Sunt n. Sacramenta organa & media, per quae Deus offert exhibet & confert utentibus promissionem de remissione peccatorum, justitiam & vitam aeternam. Hunc finem 1. argumentis confirmabimus. 2. uberius explicabimus & 3. modum collationis determinabimus.

III. Confirmat finem. 1. Evangelij & Sacramentorum cognatio. Nam Sacramenta sunt q: epitome & nucleus doctrinae Evangelicae, omnemq; virtutem & dignita-

tem ex verbo habent; imò dicuntur quoddam verbum visibile. Quicquid ergo Evangelio competit, id Sacramentis denegandum non est: quia v. Evangelium medium est offerendi & conferendi gratiam divinam Esai. 55, v. 10. 11. Rom. 1. v. 16, quò jure id Sacramentis denegabitur? 2. In fœdus Dei receptio. Absq̃ omni dubio id, per quod fœderi Dei inserimur, in eoq̃ confirmamur & conservamur, medium erit offerens & conferens gratiam divinam. Iam per Sacramenta inserimur fœderi Dei, in eoq̃ confirmamur & conservamur, quod singulorum probat institutio. Ergo erunt etiam media offerentia & conferentia divinam gratiam. 3. Scripturæ testificatio. Joh. 3, v. 5. Act: 22, v. 16. Eph. 5, v. 26 Tit. 3, v. 5. 1. Pet: 3, v. 21. In his dictis effectus regenerationis predicatur de Sacramentis. De quo autem effectus predicatur, id suo modo causa est: Ergo & Sacramenta causa erunt: non quidem principalis: hic honor n: soli Deo competit; sed instrumentalis.

IV. Divortium itaq̃ à Calvinianis facimus, qui quandoq̃ uno ore nobiscum de hoc fine loquuntur, diversum tamen sentiunt, statuentes, Sacramenta esse mera signa significantia, imagines & picturas de voluntate Dei, uti videre est apud Calvinum lib: 4. Instit: cap: 14. §. 1. c. 15. § 2, 15, 17, 20. Martyr: L. C. p. 811. Aret. in probl: p: 229: Beza part: 2. Respons: ad acta Coll. Momp: p. 115. &c, Bucanum expressè dicentem L. 46. inst: Theol. q. 59. Sacramenta sunt signa, nō causa gratiæ. V. Quæ Calvinianorum sententia, falsissima est. Nā 1. stante hâc hypothesi, sequeretur, scripturam nullibi verbis propriis & perspicuis, finē Sacramentorum definire, sed omnia dicta per analogiã illam confictam explicanda esse. Taceo 2. significativam hanc

ans.

analogiam nullum in institutione Sacramentorum fundamentum habere.

V I. Pro explicatione hujus finis notanda est 1. Finis universalitas. Etenim hic non solos electos, ut quidam e Calvinianis disputant, sed omnes in genere homines spectat. Nam quemadmodum unicum, idque universale de CHRISTO est Evangelium, per quod CHRISTUS cum omnibus beneficiis toti mundo offertur, vi mandati CHRISTI Matth: 28. v. 19. Ita quoque unum baptisma est, una Domini cœna, per quam Deus omnibus hominibus gratiam suam offert & exhibet. Uno illo baptismo ablutus est Petrus & Simon Magus; una hæc Domini cœna usus est Iohannes & Iudas, proditor CHRISTI. Hunc ergo finem ad electos qui restringunt, graviter contra Dei voluntatem & CHRISTI institutionem peccant.

V II. Notanda 2. est Pontificiorum calumnia. Hi ut Orthodoxis egre faciant, impudenter mentiuntur, quod nihil efficacie Sacramentis tribuant, quia solâ fide homines justificari docent: Unde eos anathemate feriunt Patres Tridentini sess: 7. Can: 4. Sed Sophisticè satis: Nunquam docuerunt Orthodoxi, ita nos fide salvari, ut Sacramenta excludantur, sed potius includantur, ut medium justificationis oblativum. Concurrere enim ad justificationis actum & fidem & Sacramenta, ajunt: Sacramenta, & quidam initiationis dupliciter, 1. Iustificantem gratiam offerendo, 2. fidem, medium illud apprehendens excitando: confirmationis, justificationem confirmando & dona spiritus augendo. Fidem autem, Dei gratiam in Sacramentis oblatam apprehendendo & sibi applicando.

II X. De modo collationis gratiam aliter sentiunt Pontificii, aliter Orthodoxi. illi Sacramenta N. fœderis. gratiam conferre utentibus ex opere operato statuunt, licet in illis nullus adsit motus bonus, modo non ponat obicem. Biel. lib. 4. Sent. dist. 1. quæst. 3. Sacramentum ex opere operato confert gratiam. Idem statuunt Tridentini Patres Sess. 7. can. 8. Et licet mitior videatur Bellarmini opinio, quam proponit lib. 2. de Sacram. c. 1. ad idem tamen recurrit principium, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato; quod ita exponit, ex vi ipsius Sacramentalis actionis conferre gratiam, à Deo ad hoc institutæ, non ex merito agentis vel suscipientis. Quo non solum dignitatem ministri, sed etiam fidem excludit.

IX. Hi contrâ Sacramentis non esse absolutam vim conferendi gratiam additam, sed conditionatam includentem fidem accipientium, asserunt; ita ut Sacramenti actualis efficacia non sequatur nisi vera fide promissio Sacramentis addita apprehendatur. Hinc quis status quæstionis sit planissime patet, nimirum: an Christiani iustitiæ & beneficiorum Spiritualium fiant participes in Sacramentis idèò, quia ijs utuntur & propter istam actionem; an vero quia crediderunt Deum daturum ea, quæ in Sacramentis promissit? Prius Pontificij; posterius Orthodoxi affirmant.

X. Argumenta pro Orthodoxorum sententia hæc sunt: 1. ducitur, ab aperta scripturæ assertionem. Hæc de efficacia & singulari usu Sacramentorum loquens, semper fidem addit, innuens, infrugifera esse illa, nisi quæ ibi proponuntur vera fide accipiantur. Marc. 16. v. 16. qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Act. 8, v. 36. Eunuchus ad Philippum

lippum ait: Ecce aqua, quid vetat, quo minus baptizer
v. 37. dixit Philippus: Si credis ex toto corde, licet: re-
spondens vero dixit: credo filium Dei esse Jesum,
Christum. Similia loca vid. Act: 22. v. 16. Rom. 10. v. 14.
1. Cor: 11. v. 27. Unde vulgata illa regula: non Sacramen-
tum, sed fides Sacramenti justificat. 2. A promissione
Sacramentis annexa. Omnis promissio fide apprehendenda
est: horum n. ut duo relata unum absq; altero esse nequit.
Nam fides instar manus est, divinas promissiones apprehen-
dentis: Atqui in Sacramentis continentur promissiones. Er-
go non ex vi actionis, sed potius per fidem, promissionem sibi
applicantem, justificant. 3. A perpetuo fidei attributo.
Sine quo non justificamur, sine eo Sacramenta nil profunt:
Atqui sine fide non justificamur: perpetuo enim hoc fidei in
scripturis tribuitur, quod justificet Habac. 2. v. 4. Rom. 1.
v. 17. c. 4 v. 3 Gal. 2. v. 3. Heb. 10. v. 38. Ergo absque fide nil Sa-
cramenta profunt. Hinc phrases ille causales: quia credidi-
sti; quia credidit Abraham, justificatus est &c. Quibus non
tantum subjecti per fidem dispositio, sed causa salutis organi-
ca notatur. Idem probat Abrahami exemplum, patrum au-
thoritas.

XI. *Adversariorum sententiam Bellarminus lib. 2. de*
Sacr. in gen. c. 3. & seqq. 6. argumentorum classibus pro-
bat, robori nim: diffusus, in numero spem victorie ponens, qua-
rum enodationem conflictui reservamus.

XII. *Finis principalis posterior est gratiæ colla-*
tæ obsignatio. Sunt enim Sacramenta & Opera, id est signa-
cula obsignationes, testimonia & pignora divinam grati-
am confirmantia. Nam in Sacramentis Deus omnibus suam
gratiam offert, oblatam credentibus applicat & obsignat, id-

que ob nostram fidei imbecillitatem, ne de promissione gratiae dubitandi locus super esset. Hunc finem quia Bellarminus lib: 1. de Sacr: c. 14. inficiatur, cui Socinus in lib. quod Evangelici &c. p. 53. consentit, eum 1. confirmabimus 2. & cavillis Bellarmini liberabimus & 3. explicabimus.

XIII. Pro confirmatione sequentia ducimus argumenta: 1. Scripturae testimonium, quod duplex: 1. Legitur 1. Joh. 5. vs 8 tres sunt qui testificantur in terris, spiritus aqua & sanguis & hi tres unum sunt. Hic dubium nullum est vocabulo aquae, baptismum & sanguinis, coenam notari: Sic ergo concludimus: si Sacramenta $\mu\alpha\gamma\iota\sigma\tau\epsilon\iota\alpha$ & testificationes sunt de gratia Dei nobis in filio recondita & promissa, sunt etiam gratiae illius sigilla & testimonia: prius rextus probat evidentia. Ergo & posterius verissimum erit, Consequentiam nemo, cui modò integri sensus, negabit, quia testificari & obsignare re & sensu idem valent: & quia sigillum certioris testificationis ergò sic dicatur, quidni etiam Sacramenta, ob immotam testificationis suae certitudinem, eodem nomine appellanda? 2. Legitur 1. Pet. 3. v. 21. ubi Apostolus baptismum nominat $\epsilon\pi\sigma\tau\omega\tau\eta\sigma\iota\alpha$ eis $\theta\epsilon\omicron\upsilon$ cujus vocis vis inde intelligitur, quod in V. T. cum in casu aliquo interrogabant os domini, ut certi redderentur quomodo ille affectus esset, Graeci semper usurpant verbum $\epsilon\pi\sigma\tau\omega\tau\eta\sigma\iota\alpha$ $\epsilon\upsilon\alpha\gamma\gamma\epsilon\iota\omega$. Erit itaq; baptismus interrogatio, quâ inter Deum & peccatorem de bona conscientia agitur, nimirum, quomodo Deus erga baptizatum affectus sit? quid conscientia baptizati sibi de gratia Dei polliceri debeat? unde concluditur: quicquid testatur de gratia Dei, illud eandem obsignat & confirmat: baptismus testatur de gratia Dei ergò eandem quoq; confirmat.

XIV. Alterum argumentum suppeditat Sigilli natura. Pre-

na. Proprium sigilli est testificari, confirmare & obsignare
id, cui annectitur. Atqui Sacramenta sunt sigilla promissio-
rum divinarum. Ergo Sacramenta testificantur, obsignant
& confirmant promissiones divinas. Assumptionis veritas ex
Rom. 4. v. xi. patet, ubi circumcisio sigillum justitiæ fidei di-
ciur. Quod autem de circumcisione, ut Sacramento, dici-
tur, id de reliquis Sacramentis negandum non est. Nam 1.
reliqua unam eandemq; causam efficientem & finalem ge-
nericam agnoscunt cum circumcisione. 2. Quod de circum-
cisione affirmatur jure de baptismo negari nequit; quippe
qui in circumcisionis locum successit. Et 3. Sacramentis V. T.
majorem ascribi efficaciam, quam novi, absurditate non caret.

XV. Tertium argumentum ipsorum adversariorum
hypothesis largitur. Ita Bellarminus lib. 2. c. 8. arg. 5. de Sa-
cramentorum efficacia differit: Sacramenta, inquit, institu-
ta sunt, ut nos certos reddant remissionis peccatorum, &
gratiæ Dei: Ergo non solum operatur objective, representan-
do, more concionis, sed efficiendo re ipsa quod significant. Ex
quò ita colligimus: Quicquid efficiendo nos certos reddit re-
missionis peccatorum & gratiæ Dei id de gratia testificatur
eandemq; obsignat: Sacramenta juxta Bellarm. effatum il-
lud præstant: Ergo vis testificandi & obsignandi illis dene-
ganda non est.

XVI. Sed ne temere Orthodoxam hanc sententiam impugnasse
vid. Bellarm. aliq. arg. lib. 1. c. 14. producis, quibus veritatem
opprimere conatur. Sed conatur tantum. Nam 1. absurdum, quod
inde consequi Cardinalis putat, nim. Sacram. ad fidem facien-
dam, verbo esse efficaciora, nobis absurdum non est. Quid n. vetat,
quin Sacram. plus valeant ad confirmandam promissionem quam
verbum, cum hæc in illis cuilibet credenti applicetur. Debetur qui-
dem & cæteris promissionibus fides firma, quia veracissimi Dei

verba sunt: attamen cum Sacramenta sigilla visibilia sint, plus ponderis habent & fidem nostram de novo magis magisque confirmant. 2. Quod obijcit Sacramenta supervacanea esse vel parum necessaria, cum bona opera de nostra justitia testentur, nulla ratione sequitur. quia 1. Sacramenta non tantum sunt testimonia, sed simul etiam efficacia organa nostrae justitiae: 2. testantur quidem bona opera de praesentia nostrae justitiae; at divinas promissiones certas non reddunt, h. e. opera sunt testimonia fidei nostrae, non fidei divinae quod intentatis videre est. 3. Quod opponit ministrum falsum perhibere testimonium, quia nesciat, quis verè credat vel secus, nos non ferit. Non enim de fine judicamus ex intentione utentis, sed instituentis, qui vult ut Sacramenta obsignent. 4. Quod dicit infantes frustra baptizari: quia ut illi non credunt: ita baptismum quoad eos promissionem obsignari non posse, principium petit & consequentia caret. Nam si infantes per baptismum in fœdus verè recipiuntur, cur non illud signaculum fœderis esse possit.

XV. Ad majorem finis hujus explicationem facit naturæ signorum sacramentalium cognitio, quia in controversia hac de Sacramentorum fine subinde signi appellatio occurrit. Est autem vocis signi triplex usus 1. notat tantum signum significans. 2. signum offerens & exhibens 3. Signum certificans & obsignans, qui usus, prioribus accommodatior est, quia omnibus tam V. quam N. T. Sacramentis convenit, eaque omnia signa obsignantia appellantur

XIIX. In ipsis signis 4. cognoscenda sunt, 1. Categoria, ex qua desumpta sunt. Sumuntur v. signa Sacramentalia, vel pro parte materiali terrenâ, & sic primo substantiæ corporeæ sunt, ut; preputium, agnus, aqua, panis, vinum; vel pro toto

Sacra

Sacramento, & sic non sunt solum externa elementa, sed potius unâ res cœlestis, altera cum elementis unita, aut potius tota actio aut tractatio elementi sacramentaliter, cum re cœlesti copulata. 2. Correlatum, quod signa sacramentalia diversum habent, pro diversâ, ipsorum consideratione. Sumpta enim pro re terrenâ in V. T. correlatum fuit CHRISTUS incarnandus; in baptisate Trinitas est; in cœna corpus & sanguis CHRISTI. At sumpta pro toto Sacramento, quatenus sunt signa significantia, est effectus quidam spiritualis; quatenus sunt signa obsignantia & certificantia, est promissio; quatenus sunt signa offerentia & conferentia, est gratia divina, remissio peccatorum, iustitia & fidei confirmatio. 3. Relatio, quæ inter signum sacramentale, pro parte terrenâ sumtum, & inter correlatum ejus, in V. T. fuit significatio, adumbratio, præfiguratio: in N. est exhibitio, communicatio, participatio. Relatio v: inter signum Sacram. pro integro Sacramento sumtum & inter ejus correlatum est auctoritas, vel significatio quâ est signum significans; obsignatio, quâ certificans; oblatio & collatio, quâ est medium exhibens. 4. Relationis fundamentum, quod est divina ordinatio & institutio, ex qua sacramentalia signa, officium illud conferendi, obsignandi acceperunt, quod è natura non habebant.

XIX. Minus principalis finis Sacramentorum multiplex est, 1. consociant: per eorum enim usum multi unum corpus fiunt mysticum & in unam concrescunt Ecclesiam. Unde August. lib. 19. contra Faustum c. 14. scribit: homines in nullum unquam religionis nomen absq; Sacramentis convenisse. 2. Discernunt: populus enim Dei hisce tanq. tesseris ab alijs hominibus distinguitur. Nam sicut oves

ex

ex notis impressis dignoscuntur; ita & Dei Ecclesia certis notis ab idololatricis cœtibus discernitur, 3. In formant: Sunt enim typi & simulachra virtutum Spiritualium: Sic circumcisio similitudo quædam coercendarum libidinum fuit; baptismus typus est mortificationis veteris hominis, & renovationis novi; cœna domini Symbolum est mutue dilectionis & charitatis. 4. Obstringunt: sunt enim velut oppignorationes aliquæ, quibus homines Christo sua dant nomina, seq̄ ad fidem, obedientiam & gratitudinem obligant & c.

XX. Impingunt circa hos fines Caroloostadius, Zwinglius, Anabaptistæ & alij nullum alium finem præter hos Sacramentis concedentes. Illis opponimus i. axioma: fines secundarij & minus principales, non sunt venditandi pro principali, nec eidem opponendi. Licet itaq̄ concedatur, hos usus minus principaliter Sacramenta habere; male tamen inde inferitur, quod hi solùm & principales Sacramentorum fines sint. 2. Scripturæ dicta, quæ Sacramentis vim justificandi & regenerandi attribuunt, de quib: thesi 3.

XXI. Finis Sacramentorum accidentarius est indignè utentiũ condemnatio. Nam licet infideles Sacramenta percipiant, tamen propter illorum abusum & contemptum, rei redduntur contemptus Christi, eor̄q̄ mortis & æternæ condemnationis. Hoc tamen non invertit proprium ac primarium Sacramentorum finem: hæc enim ratione nec Evangelium salutaris gratiæ testimonium, nec ipse Christus auctor, vitæ habendus esset; ut n. illud multis sit odor mortis ad mortem; iste multis sit lapis offensionis & rupes altisonis: ita qui sine fide Sacramentis utuntur, tenebuntur crimine Sacramentorum, & quod Paulus de cœna domini asserit, sibi iudicium manducant 1. Cor: 11. v. 29.

XXII. His finibus non contenti Pontificij, alium adhuc eumq;
manifeste falsum confingunt, qui est characteris indele-
bilis impressio; *cujus picturam vide apud Bellar: lib. 2. de Sa-
cram: in gen. c. 19. De fundamento ejus si queras respondebit*
Biel. lib. 4. Sent. distinct. 6. q. 2. nomen character non
est multum usitatum in scriptura, nec apud originales
scriptores. Et paulo post: Characterem esse ponendum,
nec ratio necessaria demonstrat, nec evidens autho-
ritas probat. Scotus in 4. sent. dist. 6. q. 9. fatetur, de cha-
ractere in Sacris literis nulla extare testimonia; nihil-
ominus tamen Tridentinum Conciliabulum anathematis
fulmine eos damnat, Sess. 7. Can. 9. qui non credunt in tri-
bus Sacramentis, baptismo, confirmatione, ordine, Chara-
cterem anime imprimi.

XXIII. Sed rectius Orthodoxi hoc de Characterem com-
mentum, ut novum, Scholasticorum figmentum, scripturae
ignotum, primis patribus inauditum, solida ratione destitutum
inter Scholasticos controversum, varie vexatum & non ne-
cessarium rejiciunt statuentes, officia, quae ipsi ascribuntur,
ascribenda esse vel Sacramentis tanq. organis, vel ipsi Spiri-
tui S. qui nos aptos reddit & Christo quam maxime confor-
mes. Scripturae dicta, quae fucando huic commento Bellarmi-
nus accersit, quaeq; non tam characterem, quam impudentiam,
impietatem Cardinalis demonstrant, vide explicata a
Reveren. & Clarissim. Dn. Praecept. Praeside, in praele-
ctionibus de Sacrament. in gen. c. 3. membr. 6. Haec desine.

XXIV. Cum itaq; fusius satis probatum, Sacramenta
media esse divinam gratiam exhibentia conferentia & ob-
signantia, sequitur hinc usum eorum maxime esse homini-
bus necessarium, adeoque necessitatem Sacramentorum esse per-
petuum

petuum attributum. Hæc quò rectius intelligantur, necessitas, 1. explicanda, 2. ejus ratio reddenda & 3. errores circa eam notandi.

XXV. Quod 1. attinet, necessitatem Sacramentis ascribentes, eam non absolutam intelligimus, ita ut nemo salutis particeps fieri posset absq̃ illis, licet fide præditus sit. Nam cum Sacramentorum, ubi inevitabilem necessitatis casum, usus non conceditur, tum vera fide præditi salutis jacturam haud faciunt: Valet enim tum Augustini regula: crede & manducasti; quia non defectus, sed contemptus Sacramentorum damnat, docente Bernhardo epist: 77. Id probant exempla filiorum Israel per 40. annos in deserto non circumcisorum, & latronis in cruce non baptizati, tamen salvati. Sed intelligimus congruentiæ seu convenientiæ necessitatem, quæ maxime finem Sacramentorum 2. Non quid Deo, sed quid hominibus convenientius respicit. Accurate itaq̃ distinguendum, inter ordinarium & extraordinarium salvationis modum: illum, non hunc necessitas concernit. Etenim licet Deus ex dispensatione homines ad ista media adstrinxit; tamen sibi legem non tulit, nec omnipotentia limites constituit, sed etiam sine illis, in necessitatis casu fidem conferre & confirmare potest.

XXVI. Necessitatis Sacramentorum rationem triplicem damus. 1. Suppeditat Christi mandatum. Is enim injunxit baptizare, hoc facere, prout mandatum, Matth, 28. v. 19. Luc. 22. v, 19. expressum, habet: Cujus vero neglectio inobedientiam & violationem præcepti Christi introducit, id necessario observandum; quia inobedientia & violatio præcepti salutem per se adimit. Atqui Sacramentorum neglectio introducit inobedientiam & violationem præcepti Christi. Ergò Sacramenta necessario observanda iisdemq̃ utendum.

2. Nostra

2. Nostra indigentia, quia si anima nostra rectè prospectum
voluimus, necesse est, ut Sacramentis utamur. Nam per hæc si-
gna convenientius & commodius homo ad spiritualia dedu-
citur, quia cum ipsius natura aliquam analogiam habent. Si-
cuti n. gentes per visibilia hujus mundi invisibilia Dei cogno-
verint, Paulo asserente Rom. 1. v. 20. Ita quoq; facilius &
commodius per sensibilia & corporea signa ad spiritualia ho-
mo ducitur. Et hinc summa Dei conspicitur bonitas, secundū
quam omnia suaviter disponit Sap. 8. v. 1. & providet rebus
omnibus secundum modum naturæ suæ. 3. Christi officium.
Hoc non tantum in bonorum acquisitione sed insuper in co-
rundem per verbum & Sacramenta applicatione consistit.
Neglecto itaq; Sacramentorum usu, articulus de Christi offi-
cio labefactatur, quoad applicationem. Quod ne fiat omnino
Sacramentorum necessitas asserenda est.

XXVII. Hæc autem omnia asserimus, non in respe-
ctu ad statū innocentia, sed corruptionis: in illo n. ho-
mo Sacramentis non indigebat neq; in quantum ordinantur
ad remedium peccati, neq; in quantum ordinantur ad animæ
perfectionem ut Thomas loquitur part. 3. q. 61. art. 2. Nam
medicina non est necessaria nisi aegroto Matth. 9, v. 12. nec
perfectione res opus habet, quæ in summa perfectione adhuc
est. Hæc quia homini in primo statu competebant, merito usū
Sacramentorum quoad illum statum negamus.

XXIX. Errant circa hanc doctrinam, 1. Fanatici, sta-
tuentes Sacramentorum usum superfluum esse, quibus etiam
annumeramus Photinianos, qui Sacramenta tantum pro
ceremonijs habent, prout candelas, cantiones &c. Somme-
rus in refut Caroli lib: 1. c: 1. p: 4. Catech: Racov: lo-
co de proh: Christ: mun: c: 3. p: 186. His opponimus Chri-
sti axioma Joh: 3: v: 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua
& Spi-


& Spiritu, non potest introire in regnū Dei. Item Augusti: lib. 19. cont. Faust. c. 11. Sacramentorū vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta Sacrilegos facit: Impertē quippe contemnitur, sine quo pietas perfici non potest. Pugnāt tandē quoq; Sacramentorū natura cū natura ceremoniarū, quæ mutari & abrogari queant, quoties Ecclesiæ edificatio id requirit: hoc de Sacramentis verum non est: in his n. Deus usum liberum & arbitrarium nobis non reliquit, ut ex adductis modo rationibus patet.

XXIX. Errant 2. presumptiosi, qui non nisi infirmis in fide Sacramenta necessaria esse autumant. Sed fallunt & falluntur gravissimē, prout iudicium eorum de fidei firmitate & infirmitate gravissime fallere potest: quippe quod Soli Deo $\kappa\alpha\tau\epsilon\delta\iota\omicron\gamma\omega\upsilon\varsigma$ est perspectissimum.

XXX. Nec minus graviter & periculose errant 3. Tentati, qui ad salutem nil amplius requiri putant, quam gratia oblationem, quæ sit verbo, & ejus acceptionem, quæ sit fide, & ob id Sacram. nihil relinqui, sed ea esse supervacanea. His in memoriam revocam; Dei sapientiam, quæ nihil ordinat nisi in finem certum propter utilitatem. Quamobrem cum nostra causa Sacramenta instituerit, utiq; inutilia non erunt; præsertim cum in verbo tantum generales contineantur promissiones, quarum per Sacramentorum usum efficax sit subsumtio & salutaris applicatio. Et curiosi hominis est Deū perscrutari consilia, ac horum rationes poscere.

XXXI. Possunt tamen hæc consilij Dei rationes dari. 1. Est infan-
tum miseria: hi n. apti non sunt audire verbum cum fructu; ne-
itq; regenerationis medio careant, necessaria fuit baptismi insti-
tutio. 2. Nostra imbecillitas: licet enim Deus misericordiam in ver-
bo nobis offerat, de fide tamen & veracitate illius, infirma nostra
caro dubitat. Ut ergo nostræ succurratur infirmitati Sacramentorum
institutio necessaria erat. 3. Specialis promissionum applicatio:
quamvis n. sæpissimē homines de salutis & gratiæ promissione certi
sunt, ad se tamen pertinere ambigunt, quod in tentatis patet. Huic
malo remedium præstant Sacramenta, id, quod in verbo o-
mnibus generaliter offertur, illis particulariter con-
ferendo & obsignando.

Deo Laus & Gloria.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

EGII
AMENTIS
Quinta
MENTI
EFFECTU;
ACRAMENTI
EHOVA
SIDIO
IS MEISNERI
D. & P.P.
examinandam.
POUCHENIUS
oruffus.
i, boris pomeridianis
minori.
ERGA,
nnis Gormanni,
DC. XL

